8

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICO-PRACTICA,
De

SYMPTOMATIBUS GRAVIDARUM ET PUERPERARUM,

Quam,
ADJUVANTE DEO TER OPT. MAX.
Ex
DECRETO ET AUTORITATE
EXCELLENTISSIMÆ AC PRÆCLARISSIMÆ
FACULTATIS MEDICÆ,
In Celeberrima Regia, quæ Teutoburgi
Clivorum floret, Academia,
PRO GRADU DOCTORIS
Publice defendet Auctor

ERNEST. FERD. SCHRÖDER
BRUNSVICENSIS,
Medicinæ Candidatus & Practicus.

Ad diem 29 *Aprilis* cIↃIↃCCXXXIV.
H. L. Q. C.

DUISBURGI ad RHENUM,
Typis JOHANNIS SAS, Academiæ Typographi.

SERENISSIMO
ET CLEMENTISSIMO
DUCI AC DOMINO,
DOMINO
ERNESTO
FERDINANDO
DUCI BRUNSVI-
CENSIUM ET LÜNE-
BURGENSIUM
&c. &c. &c.

DOMINO MEO SERE-
NISSIMO AC CLEMEN-
TISSIMO.

SERENISSIME DUX AC DOMINE, DOMINE CLEMENTISSIME.

AD excelſa SERENITATIS TUÆ limina tenues haſce pagellas reponere AUGUSTOQUE NOMINI TUO inſcribere audeo. Permittere id SUMMAM illam TUAM, qua fulges, CLEMENTIAM, mihi perſuadeo, quam ut eminere in TE omnes ſciunt, ita ego eandem tacito cultu & affectu ſupplex veneror. Poſtulare vero, à me gratæ mentis ſubjectionisque officium, humillimè agnoſco. Memoria vero illorum Beneficiorum, ut penes me nunquam erit moritura; Unicum inſtar omni-

um ſufficiat, quod tanto PRINCIPE SPONSORE fidei, ex Sacro Baptismatis fonte levatus, majus aut expetere, aut deſiderare haud potuerim: Meum ſane eſt humillima recordatione & deprecatione hoc extollere, ac gratiſſima mente recolere. Quanta Clementia ex amore in literas & qui hiſce operam navant, ſublimis TUÆ dignitatis ſplendor temperatus ſit, notiſſimum iis, quibus gratiæ TUÆ radiis ſerenari licuit & adhuc dum licet. Palladium ſtudiorum ac Deum Tutelarem, Cultores eorundem TE SERENISSIME DUX agnoſcunt, in TE MÆCENATE CLEMENTISSIMO exultant; Sub alis enim TUIS aluntur, proteguntur, ſub umbra CLEMENTIÆ TUÆ foventur & florent. Accipe, ſubmiſiſſime precor, SERENISSIME DUX, has pagellas, ſive munuſculum levidenſe, teſſeram tamen certiſſimam devotiſſimi animi, quæ ut SERENO VULTU accipiantur, eſt quod ſubmiſſiſſime rogo. Exiguum equidem fateor, pro inſignibus in me meosque parentes per TE SERENISSIME DUX SERENISSIMAMQUE CONJUGEM collatis beneficiis ut rependam non ſufficit, neque ſuppetit aliud, præter vota ac

preces. Servet DEUS atque tueatur TUAM AUGUSTAM DOMUM atque univerſam FAMILIAM PRINCIPALEM, EAMQUE cumulet omnis generis felicitate & gloria. Sit illa & perſtet usque rerum noſtrarum & præſentium præſidium & futurarum ſolatium. Hæc ut AUDIAT, hæc ut FACIAT SUMMUM NUMEN, conceptiſſimum meum eſt votum.

SERENISSIME PRINCEPS AC DUX

CLEMENTISSIME DOMINE

SERENISSIMI NOMINIS TUI.

Subjectiſſimus ac devotiſſimus
cultor ac ſervus

ERNESTUS FERDINANDUS SCHRÖDER
Med. Cand. & Practicus.

PROOEMIUM.

NUllibi magis gratioſus apparet & debet eſſe Medicus, quam apud ſexum ſequiorem, qui velut fortunæ ſuæ non minimam conſtituit: Quanto magis itaque prodeſſe annititur, tanto magis favorem ſortiri poteſt; ſi vero morbos fœminarum, gravidarum nempe & puerperarum, de quibus jam potiſſimum ſermo, obſervare contendimus, eminens ſtatim occurrit difficultas, circa implicationem & complicationem eorundem adfectuum, ut multo magis interſit hiſce morbis operam dare, recte agnoſcendis & perite tractandis, quapropter ſuo tempore jam *Cous in libr. de natura Mulierum* confeſſus, quod, qui morbos mulierum recte tractare & curare cordi habet, id ipſum à Diis rogare debeat; Imprimis vero ſe fœminarum morbi curatoris commendationi & animadverſioni commendant, quia fœmellæ ipſæ prærogativam habent frequentius ægrotandi præ maſculis, quæ annotatio iterum promovit *Hippocratem*, quo eloquatur: Mulierem bis pati morbum, quo ipſo numericam ægrotationum frequentiam in fœmellis indigitat; Utut vero hæc ita ſint, præſtat tamen in hanc frequentiorem ægrotationem tantum quoad ſpeciem facti, quod fiat quam quoad cauſas penitius introſpicere. Quam obrem de his

animus

animus eſt diſpeſcere praxin intimiorem luculentius, ut, ſi non omnium, plerorumque tamen noſcendi & curandi ideam genuinam tradituri ſimus; Ante omnia itaque precamur DEUS OMNIPOTENS Conatui noſtro adſit, ut artis ſalutaris incrementum inde augeatur & afflictarum ſalus promoveatur. Quod reliquum eſt B. L. moneo, ut haſce primitias, qualescunque ſint, æqui bonique conſulere velit, memor proverbii. Si deſunt vires, tamen eſt laudanda voluntas. Bono itaque cum Deo rem ipſam aggredior, antequam autem ipſis gravidis & puerperis regimen ordinamus, non inutile foret; Si de regimine fœminarum in morbis aliquid hic moneamus.

CAPUT PRIMUM.

DE REGIMINE FOEMINARUM IN MORBIS.

CUm fœmellæ habeant ſingularem indolem tam quoad mores & affectus, quam quoad ſenſationes & æſtimationes, ita multum refert medium tenere, ne contra Syncretismos fœminarum impingamus in praxi Medica, ubi ex officio Medici fluit, quo fœmellas poſſint ſecundum has circumſtantias rectè dirigere, ne morbo aliquod incommodum accedat, & ita quidem *quoad mores multum eſt condonandum immorigeræ fœmellarum indoli*, cui non facile licet directè reſiſtere à Medico, ſi ſcopum ſuum aſſequi cogitat, ſed præſtat potius, quaſi à tergo easdem accedere, ſi tales immoderatas actiones emendare ſuſcipimus. *Minimè omnium vero benignè perferunt fœmellæ directas oblocutiones & oppoſitiones*; multo

multo magis, ſi honoratiores & ob id delicatiores exiſtant, unde huic contumaciæ condonandum eſt & indulgendum, potiſſimum aliquando deſideriis fœmellarum ad minimum promiſſionibus auſcultando, potiſſimum easdem complacando & leniendo, conſolatione amica & conteſtatione compaſſionis honeſtæ, quin præſtolatione & pollicitatione plus quam ordinariæ curæ & proſpectionis. Exinde foemellæ mox animum erigunt & in morbis redduntur confidentiores, impoſterum etiam Medici conſiliis & auxiliis magis auſcultant. Proinde in hoc regimine proſpiciendum eſt affectibus fœminarum, *ne Medicus impingat contra reſervatas inclinationes earundem*, & ſicuti verò in genere fœminæ aliquid ambitionis rigoroſæ obtinent, ita expedit, ſi Medicus fiduciam ægrotantium acquirere geſtit, ne eandem offendat ambitionem, aliter neque conſiliis, neque auxiliis, ad vota & intentionem progredi poterit. Sicuti præterea fœmellarum delicatior animus opem quidem in ægrotationibus optat, ſed media ad finem illum obtinendum neceſſaria averſatur, ita maximè refert, *ne imprimis in initiis Medicus multis medicamentis ordinandis animum fœmellarum offendat & obruat*, ſed ſpem faciat, quod paucis affectui præſenti ſubvenire dignum reputet, quin etiam in eo deſiderio fœmellarum conniveat, *ne valdè adverſa & individuali æſtimationi contraria obtrudat.* Quoad Medicum directum & genuinum ſcopum requiritur, *ne fœmellæ leviter ægrotantes ſtatim medicamentis & actualibus artificiis obruantur*, ne dum quidem multis & magnum nomen ferentibus; Sed præſtat hac vice potius bono conſilio, ac continentia exigua talia pathemata ſuperare, ne ſi fortè in periculum novum incidant, medicamenta nullam exerant efficaciam, ſed inſtar nutrimenti evadant, Ex. gr., doloribus quotidianis capitis

non ſtatim medicamentis ſuccurrendum, ſed leve bonum regimen tales curabit facillimè, aut ſi ob alvum obſtructam flatibus exerceantur fœmellæ, non ſtatim purgantibus invadendum corpus, ne evadat natura pertinax, alvusque ita obſtructa & adſtricta, niſi rurſus iterumque aperiatur purgante; Ubi potius in genere magis opus eſt continentia & regimine. Multum præterea *refert fœmellas à multiplicatione remediorum arcere, quin potius expedit paucis fidisque remediis cum conſtantia & peritia arcere & inſiſtere*, quoniam odioſa illa & ſuſpecta multiplicatio variis noxiis ſymptomatum acceſſionibus anſam præbet, & ita ipſum affectum magis implicat, complicat, confundit & diffundit, ut denique in progreſſu alicujus morbi aut medicamenta efficacia ſua decipiant, aut homines de ſpe ſua deturbent, qua de re in genere videatur Celeberrimi *Stahlii* diſſert., *de Multitudinis remediorum abuſu. Nec forte in fœmellis medicamentorum fiant experimenta, diſcurrendo ab uno ad alterum*, quæ in illis perniti oſiſſimè cedunt, tolerabilius & ſecurius in maſculis, qui non ita delicati & ſenſibiles, qua de re vid. *Marcelli Donati* Tractatum, de Inſtit. & Progreſſu Med. Empyr. Inſuper etiam *in regimine fœmellarum evitanda ſunt calida; ſubtilia, valde penetrantia, concentrata, ſimul & ſemel afficientia, volatilia medicamenta, aut etiam ſoporifera & obſtupefantia*, non minus ſympathetica varia & quæ in curas abſtruſas magneticas vulgo referuntur. Huc cum aliis Narcoticis pertinet famoſum Caſtoreum, cui certiſſimum & univerſalem in fœmellis attribuunt uſum. Calida autem ſanguinis & humorum inturgeſcentias cauſantur, & contra tamen rariſſime refrigerantia practicorum commendationem merentur. Sic & ſpirituum ardentium aſſuefactio in fœmellis fluxus menſtrui multiplicem inferre ſolet *ἀταξίαν*.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.
DE REGIMINE GRAVIDARUM.

QUando gravidis regimen aptum ordinamus, ſtatim intelligimus tales fœmellas, quæ ob ſenſibilitatem perſonalem, corporis teneritudinem, animique mollitiem, tali opus habent directorio; Unde non licet omnibus gravidis conſilia omnia ſimul ordinare, ſed pro varietate ſubjectorum ea diſpeſcere; Vulgo quidem graviditas dicitur morbus IX. menſium, quia in eadem tot afflictiones occurrunt morbum æmulantes; quoniam vero propter fœtum multum refert, ut gravida ſanitate fruatur tolerabili, ſiquidem Hippocr. de Nat. Mul. dicit, quod fœtui ea ſit ſanitas, quali mater prædita, propterea expedit, vel imminentes ſanitatis periclitationes præoccupare, vel præſentes labefactationes dextre percurare; Primum abſolvitur bono regimine, hoc verò eſt, quoad res non naturales recte ordinandum.

Unde quod primo *Aeris* uſum concernit, expetit ut in calore & frigore ſervetur moderamen, ne in uno exceda- Aer. tur; Utantur proinde ſereno Aere, non adverſis, fœtidis & vaporoſis halitibus referto; Imprimis arcendus Aer fumoſis odoramentis remixtus Caput opplentibus, prout itidem vapores volatiles ſulphurei narcotici & qualitercunque odoratum offendentes, arcendi, ſiquidem etiam Aer valde humidus, nebuloſus, vappidus, torpidus evitandus eſt, quia variis generalioribus corporis incommodis anſam præbet.

Dein in *diæta* præſtat, cibis uti & modo juſto & quan- Cibus & potus. titate

titate congrua, evitanda nimia & ſimultanea oppletio & ingurgitatio, quin magis repetita comeſtio ſuadenda. Maximè verò abſtinendum à cibis inſuetis, craſſis, crudioribus, dyſpeptis; ſeligendi molliores, humidiores, non acres, fermenteſcentes, flatulentias conciliantes, ebullitiones ſanguinis excitantes, non ſpiſſi, Mucidi, refrigerantes, adſtringentes, non nimium acidi, ſed lubricantes, mediocriter nutrientes, excretionem alvinam & Diureticam adjuvantes, inteſtina & primas vias eluentes; concedi quidem poſſunt moderate & temperanter acidulata, citra metum, quaſi fœtum ſtimulent & ad epilepſiam diſponant, non tamen exceſſus committendus, neque conducit diæta miſcellanea & inordinata, conceditur vero aromatum temperatus uſus, abſtinendum à crocatis & leguminoſis fructibus & horæis, multam flatulentiam ſæpius conciliantibus, à fermenteſcentibus, ne diarrhœa ſuperveniat, ut & ab aliis cholericas commotiones & dejectiones excitantibus. Si aliquando averſantur cibum, non urgendæ ſunt ad cibum comedendum, ſed præſtat potius fœmellas aliis fovere alimentis, Vinum bonum temperatum conceditur, Sulphuratum vero arceatur, potu ſufficienti utantur, non fermenteſcente aut fœculento nec frigido, quo referuntur alimenta conſueta, &c.

Motus & quies.

Quo ad motum præſtat gravidis mobile vitæ genus præ Sedentario, ab immoderata vero corporis commotione ſedulo abſtinendum, varias enim utilitates habet hæcce mobilitas, præoccupat moleſtam plethoram, ſanguinis ſpiſſitudinem, ſanguinis adjuvat progreſſum liberum per venam portæ, impedit ne ſecundinæ nimis firmiter accreſcant utero, contra vero ſedentaria vita eximie nocet & multarum afflictionum in gravidis cauſa eſt.

Abſtineant autem gravidæ ſummopere à perverſis corporis

poris commotionibus, uti dicuntur, von beſchwerlichen ſteigen/ heben/ fallen/ werffen/ ſpringen/ tantzen/ lauffen/ vielen niederbücken/ tragen/ geſchwinde zulangen ꝛc. ab anguſtis compreſſionibus coſtarum, pectoris & abdominis, ut & conſtrictionibus femorum & ſurarum, à contuſionibus abdominis, à commotionibus animi & corporis præcipuè venereis, unde imprimis *Hippocrates* de ſterilitate dicit; Si mulier genituram ſe concepiſſe cognoverit, primo tempore ad virum non accedat; & porro de Superfœtatione; Mulier prægnans ſi coitu non utatur, facilius à partu liberatur.

Quoad excretiones, præſtat quo alvus in gravidis ſit conſtans, lubrica, mollis, qualis promovenda magis per potum ſufficientem & diætam emollientem, quam per Pharmaceutica, imprimis purgantia. Conveniunt juſcula emollientia, pruna & pyra cocta, quin ſi nimia alvi ſiccitas præſens & incommoda fuerit, conferunt clyſteres emollientes & leniter roborantes, abſtinendo à ſuppoſitoriis acribus, quin magis admittendo globulum Moſchatum, ova ſorbilia interne, paſſulas laxativas, rhabarb. pil. Balſamic. &c. cum quibus expedienda eſt alvus; Si plethora adfuerit in gravidis, illa eſt ventilanda, vel ſtatim primo geſtationis tempore, vel denique aliquot diebus ante partum; quæ ultima venæ ſectio partum facilitat & lochiorum fluxum temperat. Præcavenda eſt diarrhœa & hæmorrhagia immoderata, evitanda tuſſiculoſa commotio; vena ſecari poteſt, ſive in pede, ſive in brachio, quanquam eandem in pede multi diſſuadeant, ſunt tamen & alii qui illam ſuadent, inter quos Celeb. *Mich. Alberti* in Diſſertatione de VSnis in pede gravidarum uſu tuto & ſalubri. Excreta & retenta.

In ſomno & vigiliis ſervent moderamen; minus vero vigiliis intentæ ſint. Somnus & vigiliæ.

Animi Pathemata.

Animi motus moderati ſint, pathemata animi penitus abſint.

Curatio morborum primorum menſium.

In ſpecie autem ſymptomata gravidarum recenſenda ſunt, quæ primis menſibus à menſtruis retentis vel plethora oriuntur, ut

Nauſea & vomitus.

Nauſea & vomitus, quæ enim illis macerantur, nullis aliis medicamentis opus habent, niſi chylificationem reſpicientibus; hinc in uſu habeant paſſul. Rhab. vel elix. ſtomach. Mich. vel Hoffm. externè rec. einen Honig-Kuchen de eoque cum vino malvatico in pultem, cui adde Herb. abſynth. menth. cr. fl. roſarum r. lavend. chamom. R. *n. m.* cinam. caryoph. aa. q. ſ. ut fiat cataplaſma, calide ventri applicandum.

Pica & malacia.

Si vero gravidæ Pica & malacia laborent h. e. appetitu abſurdorum tam ad conſueta quidem, ſed inuſitato modo v. g. in quantitate eſculentorum, ut halecum vel condimentorum, ut zingiberis ad pondus inſolitum, cujus hiſtoriam refert *Fel. Platerus* in Obſerv. pag. 239. inuſitato tempore, ut ceraſorum, fragorum &c. tempore hyemali, tam ad inconſueta ſive aliena & peregrina, ut terram, teſtas, calcem, carbones, fimum, carnes humanas, plumbum (*Conf. Nicol. Tulpius* Obſerv. Medic. libr. IV. cap. XXIII. Amſtel. 1641. octav.) Ceram albam vel Hiſpanicam, Chirotecas *Langius* Libr. II. Epiſt. XII. fol. 548. edit. Han. 1605. in octav. Item *Schenkius* obſerv. Lib. IV. obſ. 131. *Caſtro* de morbis mulier. part. 2. Sectione 1. Lib. III. Cap. IX. Paul. Zacch. Quæſt. Med. Leg. Libr. 1. Titul. III. Quæſt. II. pag. mihi 60. aliique, quos recenſet *Matthias Moronius* in Directorio Medico Practico pag. 364. & ſeq. Ab utroque verò noxa facile, ſi non in corpus ægræ, ſaltem in fœtum derivari poteſt, ſi vel denegentur cupita, vel promiſcuè concedantur; in hoc ergo ſtatu, talia ægrotæ

tæ præſcribenda ſunt, quæ leniter humores oneroſos, & in primis viis abundantes cacochymicos evacuant, ut blanda laxativa, vel ipſa quoque emetica pro re nata, refracta tamen doſi, quibus antevertere noxam poſſumus, ſi ægra plus juſto fortè in aſſumendo exceſſerit. Si vomitorio opus ſit ſeq. formulam, quoad vires ægrotæ, ſuadeo.

Rec. rad. ipecac. gr. XII. ℈j.
f. pulv. ſ. Brech-Pulver auf einmahl.

Cum debito vehiculo & regimine. Poſtea verò roborantia & corrigentia, utpote tragea ſtomachica cum vino malvatic. nux Indica condita, Morſelli ſtomachales, empl. ſtomach. aliaque exhibenda ſunt; forma liquida ſi placet, præſcribo.

Rec. Tinct. Tart. ℥ß.
ol. deſtil. anis.
citr. ver.
mac. ana gr. ij.

M. S. Hiervon 40. Tropffen des Tages dreymahl mit beliebigem vehiculo zu nehmen.

Practicus qui de natura mulierum librum Germ. conſcripſit, ſequentem formulam ſuadet.

Rec. Cort. Citr.
Pom. aur.
Rad. pœn. mundat. ana q. v.

Affunde vini malvat. q. ſ. ſtent diebus aliquot in digeſtione, poſtea cortices & rad. contundantur, malvaticum rurſus affundatur & deſtill. huic deſtillationi novæ ſpecies addantur, iterumque in digeſtione ſtent per aliquot dies, tandem exprimatur & filtretur.

Si gravidæ Diarrhœa accidit, omni ſtudio coerceatur, utpote hic nunquam tuta, facile enim abortum cauſatur, id quod *Hippoc.* annotavit hiſce verbis: *Mulieri uterum gerenti,* Diarrhœa.

renti, ſi alvus multum fluat, periculum eſt, ne abortiat, quia nutrimentum non ſolum fœtui detrahitur, ſed natura etiam ad ejectionem ſtimulatur; Ad anteveniendum autem malum eo citius tum interna cum externa in uſum vocanda ſunt, hinc Cydon. in formam pultis cum vino cocta & cum Maſt. caryoph. & N. M. &c. conſperſa, ut fiat cataplaſma calide ventri applicanda; Cydon. condita in & poſt prandium in uſum ſæpius adhiberi poſſunt; obſervandum tamen, ne quid nimis.

Alvi adſtrictiones.

Alvi autem adſtrictiones & tormina ventris vel dolores colici optime curantur ſufficienti potu aqueo, Theè nimirum & Coffeè; imprimis ſi prægnans vitæ ſedentariæ eſt addicta, vitam mobilem, una cum victu molli leniente eligat, Clysma emolliens, aut leniſſimum purgans, ut pilulæ variæ balſamicæ, vel ſal amarum catharcticum aut Cr. Tart. in juſculis exhibita, maximo ſæpe cum emolumento prægnantibus proficua expertus ſum.

Animi deliquia.

Si mater animi deliquia ſentit, vel fœtum debilem eſſe deprehendit, varia ad matrem vel fœtum confortandum dentur ſpirituoſa aromatica; ut ſal volat. oleoſ. ſiccum, balſ. embryon. Aqua vit. mulier. vinum &c. cum variis aromatibus umbilico applicandum; internè vero Carminativa, cardiaca & blandè ſtomachica ſuadenda ſunt.

Hæmorrhagia uteri.

Hæmorrhagia uteri & inde metuendus abortus gravidis valde noxius exiſtit; in hoc caſu deſperato, ſi fruſtra temperantia exhibita ſunt, potiunculam *Sylvii* adſtringentem præſcribo, vel pulv. Stypticum Heurnii; ceſſante autem fluxu ſtatim fœtus & mater internis roboranda eſt. Si verò fluxus medicamentis non ceſſat, manu perita, ſicut Excell. *Heiſterus* in Chirurgia pag. mihi 746. docet, exitus ex utero citò provocandus eſt, ne mater una cum

fœtu

fœtu pereat. *Zacutus Luſitanus*, Libr. I. de Medic. princ. hiſtor. obſerv. XIX. nihil melius eſſe ſuadet, quam Fontanellas in brachiis ſive cruribus verba ita ſonant: „Feli-„ciſſimo experimento obſervavi frequentem abortum ex „vitioſis humoribus ad uterum à toto demandatis, ſua-„que prava facultate, vel copia fœtum enecantibus; hoc „ſolo præſentaneo auxilio impediri; fœminæ plures hac „ipſa de cauſa frequenter abortiebant, ex iis quædam ſe-„ptimeſtrem, quadrimeſtremve lacerum tamen & omni „putrilagine infectum, ſæpius enixæ; non niſi hoc præ-„ſidio (cauterio) tam in brachiis quam cruribus, ſemper „tamen ad originem fluxionis celebrato, à tantis malis „levari potuerunt, & debitò ac conſtituto tempore fœ-„tus ſanos & nulla labe fœdatos in lucem edidere; An autem alii in praxi bono cum ſucceſſu adhibuerint, non conſtat; ad præcavendum autem abortum nihil præſtantius eſſe affirmo quam VSiones iteratas, de quibus jam ſupra diximus, legi merentur obſerv. Celeber. *Hoffmanni* de abortu qui eleganter hanc materiam tractat.

Nonnulla autem ultimis menſibus à mole fœtus, ſecundinarum & aquarum proveniunt, interque præter enarrata, tumores pedum, varices, hæmorrhoides cæcæ & dolentes præcipua ſunt, atque ultimis menſibus oriri ſolent. Curatio morborum ultimorum menſium.

In carnoſioribus & humidioribus gravidis accedente imprimis otio & vita ſedentaria ipſaque ingluvie, aliisque erroribus collecta, & ſtagnante ſuperflua ſeroſitate in MSnea, juncta compreſſione aliqua pororum & vaſculorum lymphaticorum, fit ſtaſis non nunquam in externis, non ſurſum æque circulata perfectè reflua lympha; In macrioribus vero, venis obviis & magis fulgentibus circa valvulas hoc pacto conſpicuas redditas. Ex eadem cauſa Cauſæ.

 enaſcun-

Varices. enaſcuntur non rarò & protuberant Varices German. Kindes Adern/ venæ dilatatæ & nodoſæ modo uno magis modo utroque pede, imo & ſurſum, quod vidimus, ipſis venis ad & circa pudenda usque mirum quantum criſpatis & extenſis, in una alteraque etiam vena attenuata cute planè aperta viſa non ſemel, quod & in viro ſanguineo ſcorbutico, aliquando in reliquo corpore obſervavimus, cum profluo ſanguine maturè ſiſtendo. Solet verò hic tumor uterque pedum & venarum ſponte à partu exantlato verè cedere ut plurimum. Interdum tamen viſus eſt quoque nobis priori conjungi Hydrops cum graviditate, & imprimis particularis quoad pudenda, ubi & ſectio per lancettam fuit neceſſaria, & poſt partum purgantia licet cum deperditione lactis, inde & tunc conſecuta, ægra &

Curatio. fœtu evadentibus; curandi vero fine proſunt & hic primo confortantia & reficientia ordinaria & præparata & pulveres ex magiſterio ebor. Corall. perl. præpar. cinnab. hepat. martial. non incommode vero & martial. alia, tinctur. mart. balſ. arom. hellebor. ipſa cydon. cum arcan. Tart. & oleo deſtill. L. Saſſafr. Mixt. antiſcorb. Vitandus vero ſecundo victus humidus & ad hunc conferens vini potus largior; Non multum bibant; Caveant à fragis, ceraſis, prunis, melonibus largiori quidem quantitate, uvis, lactuca, magis aſſa quam elixa eligant. Motus item lenis confert, evitato otio nimio, pedes defendantur à frigore, & blando potius fotu vel deligatione quoque ad diaphoreſin diſponantur. Bibant vinum meliſſatum, abſinth. cum cichor. Cort. Citr. vel aurant. vel olei etiam ætherei tantillo medicatum. Ita gravidas v. g. moleſta ſoda, tumore pedum & alvo adſtrictiori curavimus aqua ſummit. abiet. cum tinct. mart. helleborat. & arcan. Tart. ana & momento ol. citr. ver. mixta.

Perti-

Pertinent vero huc & mariſcæ ſive hæmorrhoides etiam cæcæ protuberantes & dolentes. Oriuntur vero tum aliis ante partum à decubitu ſanguinis in venis (quod & in varicibus fit aliis) halituoſi imprimis magis elaſtici, tum poſt partum in aliis à tenſione dolorifica & niſu parturientium fortiori, unde & anum in partu ipſo manu appoſita paulo contingere & leni preſſione defendere par eſt, quæ curatione communi egent. Ita appendi debent utiliter rad. fabar. recens tuberoſa & nodoſa in linteo inter ſcapulas & lumbos; vel etiam rad. chelidon. m. fabar. recent. Scrofular. cynogloſſ. ana ℥iij. herb. verbaſc. Mj. linar. Mij. parid. hyoſc. ana Mß. fl. verbaſc. Melitot. oc. popul. ana p. ij. Maſtich. thur. oliban. anim. ana ℥iß. pap. rh. p. j. M. pro ſaculis appendendis, cum lacte coquendis ſeu fotu & ſeorſim pro ſuffitu, quod probatiſſimum; interne

Mariſcæ hæmorrhoides cœcæ protuberantes & dolentes.

Rec. Eſſ. carmin.
Elix. ceph. ana ℥ij.
L. L. S. gt. vj.
Ol. deſtill. mac. gt. i.

S. Mixtur. nach Befinden Tages dreymahl 30. bis 40. Tropffen zu nehmen.

Ob compreſſionem ſphincteris veſicæ non parum moleſtat aliquando gravidas, ultimis menſibus urinæ gravitas, cum ipſo etiam nonnunquam ardore genitalium. Conveniunt interius reſolventia, diuretica blanda, terrea leniter abſtergentia & ſtimulantia, alcalina, ſalina non nimis calida, veſicam roborantia; tinct. tart. ſilicum *Glauberi*, liquor lap. cancr. malvat. junip. tinct. aperit. *Mœb.* ol. amygd. dulc. recens expreſſ. ad gt. vj. in juſculo carnis cum rad. & fol. petroſel. coctis, medicatum, vel chærefolii quoque, ſin tartarea vel calculoſa materia adſit, his

Urinæ difficultas & ſuppreſſio.

ipſis una eidem proſpicitur, commode etiam pulveres & mixturæ nephriticæ leniores dantur

℞. Eſſ. ſuccin.
Carmin.
Elix. nephrit. ana ʒiß. M.

℞. Tinct. Silic. Glaub. vel nephrit. Rolf. ʒij.
Ol. deſtill. aniſ.
Fœnic. ana gt. j. M.

Par ratio eſt tinct. tart. ſimpl. & antimoniat.

℞. Magiſt. oc. cancr. ℈j.
Tartar. vitriolat. vel reſolut.
Sem. Lycopod. ana ℈ß.
Ol. deſtill. mac. gt. ij. M.

Exterius litus & fotus conveniunt, ut ol. ſcorpionum ſimpl. & compoſit. ol. polychreſtum, vel lumbricorum ipſarum umbilico illitum, ſacculo deſuper impoſito ex herb. chærefol. fl. cham. R. Semin. lin., cepis ipſis ſubcineribus coctis, pro re nata. Sin opus fuerit & balneum ex herbis chærefol. alth. malv. parietar. fl. melilot. verbaſc. chamom. ad Miij. v. g. cum ſem. lin. ad ℥iij. bacc. juniper. impoſitis herbis ipſis pubi. Cathetere verò hocce caſu, niſi plane extraordinarie, vix opus eſt.

Tuſſis. In tuſſi prægnantium optimo ſæpe cum ſucceſſu dandæ ſunt pill. de ſtyrace, imprimis verſus noctem.

CAPUT TERTIUM.
DE PRÆPARAMENTIS AD PARTUM.

Ante partum maximopere cavendum eſt, ne gravidam ex in proviſo offendat parturitio; ita & tempus geſta-

geſtationis debitum noſcendum & ad finem illo properante domeſticis & Medicis opus eſt; turpe enim eſt eo loco dicere: Non putaram; De tempore partus maximopere certant Auctores; Ordinarius autem partus terminus eſt finitis 280. diebus, interdum tamen hicce terminus paucis diebus anticipatur vel poſt ponitur; Illoque die contingit, quo menſtruus fluxus apparere conſueverat, cum hoc tempore aliqualis uteri conſtrictio apparere ſoleat; qui vero hunc terminum antecedunt, vel debiliores ſunt minusque perfecti, vel, ſi perfecti ſint æque ac iſti, qui poſt decimum menſem excluduntur, ſpuriis annumerandi. Placet hac occaſione in cauſas inquirere, ob quas ea opinio invaluit, ſolis hominibus fixum partus tempus eſſe denegatum.

Harum 1) eſt auctoritas *Hippocratis* & *Ariſtotelis*, hoc aſſerentium, qui cum idolorum inſtar à priſcis phyſicis Medicisque ſint culti, opinio iſta per plura ſecula firmas radices egit. 2) Errant haud raro fœminæ in calculo, dum emanentibus menſibus ſe ſtatim gravidas cenſent, graviditate demum poſt aliquot menſes ſuccedente, vel ſub graviditate menſium fluxu perennante. 3) Errant ulterius cenſentes, motum fœtus ſemper circa medium geſtationis apparere, cum is interdum circa medium quinti detegatur. 4) Accidit intempeſtivus amor maritorum vel credulitas Medicorum, qua credunt, fœminas honeſtas eſſe, illarumque relationibus fidunt, ſive tradant, ſe ſex, ſeptem tantum, ſive undecim &c. menſibus gravidas fuiſſe, ſive narrent, ſibi aliquoties tam diu pro tractam graviditatem moleſtam fuiſſe. 5) Sæpe Mulieres, ne erraſſe videantur, ſigna graviditatis diſparuiſſe, conſtanter ſe gravidas fingunt, donec novo coitu revera gravidæ reddantur; idem dicendum eſt de Medicis, qui ſemel affir-

marunt,

marunt, foeminam quandam gravidam eſſe. 6) Signa graviditatis incipientis ſunt incerta, unde haud raro gravida creditur, quæ talis non eſt, & vice verſa. 7) Signa molarum ſæpe foetum mentiuntur, ita ut peritos quandoque medicos fallant, cujus generis notabilem hiſtoriam, de falſa nimirum conceptione ſive impraegnatione refert, *Joh. Matthias de Gradi* pract. part. 2. cap. 29. pag. mihi 461. Lugd. 1527. in 4to. 8) Interdum mola in utero efformatur, & poſt aliquot menſes demum vera ſuccedit impraegnatio, unde omne tempus conſumtum, ſoli graviditati accenſetur. 9) Maximum tandem pondus huic opinioni adjecerunt medicorum partim avaritia, partim ambitio, quibus ſpe honoris, partim lucri, permoti fuerunt ad tales ſtabiliendas theſes, quæ nullo nituntur fundamento. 10) Nec ab omni culpa immunes judicandi JurisConſulti, quippe qui in favorem matrimonii multa conceſſerunt, quæ non concedenda erant. Nonnulli quidem ſtatuunt, 1.) ob moerorem graviorem eundemque protractum, haud raro partum ſolito ſerius exſpectandum eſſe, id quod experientiæ haud reſpondet, interdum quidem triſtitia cauſa eſt foetus debilioris, aſt non retardati, imo vidi infantes, à matribus ſumma triſtitia perfuſis, enixos, qui de robore cum aliis, quorum matribus nulla lætitiæ cauſa deerat, certare poterant. 2.) Differentiam regionum partus tempus inſigniter mutare, ita ut in regionibus frigidioribus degentes, tardius, in calidioribus viventes, citius patres infantibus exhilarent; fragile ſane argumentum, quod ſi enim hoc veris eſſet annumerandum, in Gallia ex. gr., in qua plures ſanguineæ quam melancholicæ occurrunt, in qua optimis nutrientibusque alimentis, præcipuè nobiliores, utuntur, in qua coelum calidius noſtro, ſi non ſemper, ut plurimum tamen partus ſeptimeſtres vel octimeſtres

ſtres eſſent exſpectandi, id quod tamen nemo, quantum novi, unquam Gallorum obſervavit vel aſſeruit; E contra in Norwegia, Scotia, Lapponia &c. Ubi cœlum aſperius, plures melancholicæ quam ſanguineæ occurrunt, victus eſt durior; quis ex admiſſa hac hypotheſi, alios quam decimeſtres, undecimeſtres &c. partus promitteret, quod ſcriptum non legi; 3.) Mares citius præ fœmellis exitum ex utero quærere, & hoc iterum experientia non confirmatur; Sæpe mulieribus ſibi puellos promittentibus, ubi puella in conſpectum prodit; Origo autem hujus erroris inde arceſſenda venit, quod fœtus maſculini ordinariè præ fœmininis ſint robuſtiores, proinde ſe citius in utero moveant, unde fœminæ credunt, ſe medietatem graviditatis attigiſſe, ubi hæc nondum eſt adimpleta, 4.) Morbus & debilitas parentum, partum non retardat; à parentibus quidem ægrotis, debiles procreantur infantes, non vero partus tempus inde protrahitur, nam gravida quædam, per quatuor ſeptimanas & ultra, febre eademque poſt modum recidivante laborabat, vires erant proſtratæ, appetitus dejectus, ita ut illis diebus, quibus febris apparebat, parum vel nihil ciborum aſſumeret, nihilominus tamen, nono menſe elapſo, puerum perfectum peperit; Plura hoc loco addere tempus & ſpatium non permittit, quare B. L. contentus ſit hiſce, eſt quod velim, cum hæc diſſertatio tantum ſpeciminis loco ventilata ſit; Venio igitur ad ſcopum propoſitum, moneoque, quod primipara imprimis octo vel quatuordecim diebus ante partum balneo inſideat, quam diu ſe bene poſſe ſentit; tale autem ex ſequentibus fieri poteſt, nempe herb. alth. malv. chamom. melilot. beton. ſem. lin. fœnugr. &c. obſervandum ne nimis calide inſideat; Seorſim pro re nata rapæ exſiccatæ, ſem. lin. furfur. tritic. aliaque domi addi poſſunt &

deco-

decoctioni ipſi ſeu liquori balnei, lactis menſura una vel altera affundi, vel huic ſacculi incocti, lumbis & pubi applicari; inſidere quoque balneum per horam dimidiam circiter ventriculo vacuo V. G. mane hora 9. veſperi hora 4. non ultra euphoriam, non item præſentibus contra indicantibus, ſi enim coryza, tuſſis, raucedo, debilitas, dolor capitis, defluxiones, tormina, fœtus debilis &c. adſint, balnea non conveniunt, neque etiam abſolute illis opus eſt, niſi fotibus calidis ventrem blande mulcere placeat. Peracta balneatione una cum quiete debita deſuper habita, propinari poteſt etiam unum alterumque medicamentum, V. G. Pulv. Confort. cinnabar. corall. Eſſ. arom. cum ſp. meliſſ. Balſ. embri. aq. cinam c. v. Nux juglans condit. vel N. M. in India condita majori apparatu.

CAPUT QUARTUM.
DE PARTU IPSO.

SI horam partus appropinquare dignoſcitur, hæc ſigna ſe produnt; acrior eſt ſub umbilico dolor & inguina premit, & inde ſe flectit ad lumborum vertebras, genitalia cum dolore tument, febrilis horror corpus invadit, ex naturæ ad excretionem conatu, facies rubet, venter incaleſcit: Cumque magis inſtat, urinæ adeſt incontinentia, uterus ſolvi ac laxari ſentitur, tormina vexant, partes ſuperiores graciles fiunt, & extenduntur loca ſupra pecten & inguina, os uteri directum apparet, perinde ac in conceptu; tunc nihil intermittatur, ſed probe apparatus fiat, ne imparatam offendat partus; tria imprimis tum requiruntur, 1) Obſtetrix perita & proba, nec temulenta

lenta puta, nec temeraria, ſed digna juxta *Terentium*, cui committas quocunque partu Mulierem; 2) Adſtantes una alteraque peritæ & cordatæ, 3) Sella (videatur Celeberr. *Heiſteri* Chirurg. pag. mihi 757. fig. 7.) Illa enim pariendi modus & commodus & receptus magis & antiquiſſimus eſt. Non quivis vero dolores gravidarum partum promiſcuè imminere ſignant & notant; aliæ levius evadunt & citius expediuntur; aliæ gravius torquentur, imprimis primiparæ, eæque annoſæ magis ob ſiccitatem corporis in illis occurrentem. Diſtingui hinc debent hi dolores quoque, quatenus quidem uno loco magis & conſtantes, illi ſunt ſubinde increſcentes magis, quidam vagi quaſi & tranſitorii vulgo wilde Wehen/ illi fortius urgent progrediendo magis magisque aucti; Hi vero movent non promovent citra ſucceſſum optatum benè dignoſcendi, aliquando enim ad aliquot dies fit termini prorogatio. Perinde verò eſt, utrum præcedant dolores & hoſce excipiat proruptio fluidorum utriusque generis ex utero, tanquam prodromus fœtus ipſius edendi, an hæc primitus indicia ſui prodant & dolores conſequantur, quod utrumque vel alterutrum potius fieri aſſolet, ſunt enim cauſæ quaſi ſociæ; præſtat tamen prius ferre vel ſimultanea eadem; Notavimus enim ſe exſerere aquas lentius erumpentes à laxatione vel ruptura vaſorum intentata & immorante, in aliis largius id fit magis. Ordinarie verò ſolet magis aqua prius effluere & profundi indicio recluſionis ſive apertionis portarum incipientis, quæ partes lubricando fœtui viam ſternit facilem, id quod tamen ſi præpropere nimis & largius fiat, quandoque partum difficilem reddit, ut contra ea quoque ſi eruptio ceſſet, vel differatur ſeu ob denſitatem membranarum ſive alias cauſas idem contingit, unde aliquando conſultum eſt hoc caſu provide juvare apertionem ipſam.

Vid. Sigmundin. Notandum hinc ut debitum obſervetur temporis moderamen, ſi enim nimis cuncteris, neque doloribus rite urgentibus promoveatur opus, hinc laſſatur natura & fatiſcit; nec cũnctandum ergo longius, nec tamen nimis properandum, quod illo aliquando pejus eſt. Ubi ergo præſentibus his illis indiciis mature advocanda obſtetrix, ut præſto ſit & præſtoletur; Ita mora debita requiritur, cum plurimæ noxæ & partus præternaturales ipſi; ſeu uno verbo infortunia ſæpius immaturo conatui parientis intempeſtivo imperio obſtetricum ſunt adſcribenda. Non ſtatim enim invita Lucina ad quemcunque dolorem muliebria inſurgenda & ſellæ obſtetricum dictæ imponenda fœmina, ſed & fœtus inclinare debet ad exitum rite compoſitus, & ſolvi, placenta ab utero ad egreſſum laxatur, accinctoque ut æquis omnia concurrant conatibus & connixu ſymbolico fœtus puta & matris, cum hortatu & quaſi celeuſmate adſtantium prudentiorum, quam in rem pluribus legi meretur *Harveus* libr. de Partu pag. mihi 343. Hinc non prius officii hujus ſui admonenda & urgenda eſt parturiens, niſi veri & conſtantes dolores tales adſint, oſculum uteri interius manifeſta apertura pandatur & gaudeat, Germ. Wenn die öffnung da iſt und die Frucht innen ſtehet. Facto hoc obſtetrix ſciens & prudens facile deprehendit dirigere & referre poteſt. Poſſunt & debent etiam quædam adhiberi pro partu feliciter promovendo, ſiquidem iis opus ſit, imprimis, wenn es an Wehen mangelen will. Aliter vero procedendum in partu difficili, naturali, aliter in præternaturali, ut rectè diſtingui conſuevit. Cum ergo ad partum requirantur mater parturiens quoad totum, & ſeorſim quoad uterum & fœtus edendus, quibus merito humores in amnio contenti annumerantur, omnia illa, quæ partum difficilem reddunt, ad

hæc

hæc duo quaſi ſumma genera ferè reducenda ſunt; hinc vel ſola medicamenta ſufficiunt, vel perita manus directio, vel utraque potius requiruntur. Medicamenta ad partum hunc facilitandum commendata ſunt partim confortantia, partim ſtimulantia vel mixta, eaque interna vel externa, ſed hic narrare non opus eſſe credo, quia libri de hac materia ſcripti, jam ſatis ſunt repleti; Sufficiat unam tantum formulam proferre, quare ego ſequentia non inutilia eſſe puto;

℞. Myrrh. el.
Hepat. anguill.
Sal Uterin. ana ℥ß.
Ol. deſtill. cinam. gt. 1.

M. div. in 3. vel 4. p. æquales d. S. treibendes Pulver ein Brieffgen alle halbe oder viertel Stunde zu nehmen mit aq. cinam. c. v. Conf. diſſ. Clariſſ. *Mich. Erneſt. Ettmulleri* de ſecundinarum excluſione §. XI. pag. 22. Quid autem in partu præternaturali, difficili & fœtu undecunque mortuo agendum ſit, pluribus de eo legi meretur chirurgia famigeratiſſimi D. *Heiſteri* cap. 147. pag. mihi 736. & ſeq. Nec non Doctiſſ. diſſ. Excell. *Jo. Hadriani Slevogtii* de Partu Cæſareo Jen. 1709. Signa autem, quæ felicem partum indicant, ſunt, ſi parturiens libere reſpirat, ſi vires conſtant, fœtus non adeo ſentitur inquietus & dolores parturientis verſus inferiorem ventrem diriguntur. *Gravem* vero enixum denotant, ſi aquæ effluunt, nec partus eas mox inſequitur, viæ enim ſic exſiccantur, ut difficulter poſtmodum excludetur fœtus, niſi obſtetrix vias lubricas reddat, eas probe inungendo, ol. Lilior. alb. ung. de alth. axung. caponis &c. Peſſimum ſignum eſt, ſi ſanguis vel chorda umbilicalis partum præcedit, ſi diarrhœa ſe jungit, & lac effluit, tunc enim vix vitalis enititur

 partus.

partus. Vid. *Joh. Helfr. Jungkenii* vade mecum pag. mihi 287. & ſeq. Interim alvus conſtipata, fœtum retardare poteſt, hinc clyſteres aut ſuppoſitoria egregiè conducunt in partu difficili, non enim ſolum eluendo inteſtinum & deplendo utiles ſunt, ſed ob viciniam blande uterum emolliunt, & ſui officii ſtimulando admonent, quod & præter alios expertus eſt *Joh. Heurnius*, *Binniger*, aliique; Singulariter verò & per ſe externo uſu commendatur hoc nomine ol. Momordic. conf. Ephemer. Germ. Interdum verò nec error aliquis externus committendus, imprimis cavendo, ne conclave ſit frigidum, maximè noctu & hyeme, ſed calefactum potius debito modo, ne aer frigidus, unde ſanguis facile concreſcit & grumeſcit, ad uterum accedat & minimum dolores poſt partum, febres, aliaque mala excitat.

CAPUT QUINTUM.

POST PARTUM.

FOetu tandem feliciter enixo, non ſtatim dimittenda eſt puerpera, ſed inquirendum, num alius adhuc fœtus lateat, qui dicto modo caute educendus eſt; Si vero conſtat nullum adeſſe, ſecundinam, infante ſepoſito, obſervet, ut hæc legitime excernatur. (*) Liberatæ vero juxta aſſertionem *Hippocratis*, puer-

(*) Cum hæc ſcribo in mentem venit falſa vulgaris opinio obſtetricum & fœminarum, ſcilicet quæ credunt, ſemper die Löſung der Zunge opus eſſe in infante recens nato, multæ autem & triſtiſſimæ obſervationes, ab Autoribus hac de operatione ſcriptæ reperiuntur, & experientia ipſa docet, chirurgum ſæpius hancce operationem facere, nempe ſi cum digitis obſtetricum frenulum hoc non poteſt auferri, quia inter mille vix unus invenitur, qui illa opus habet, vid. Cel. Heiſteri Chirurg. p. 571.

puerperæ tractandæ ſunt, ut graviter vulneratæ; hominis verò valde vulnerati, maxima circumſpectio habenda eſt, unde à puerperis, omnis abeſſe debet temeritas, maxime omnium arcendæ puerperæ ab evacuationibus, fortioribus ſtimulantibus, imprimis purgationibus cujuscunque generis, qua de re frequentiſſimæ obſervationes ſunt, præcipuè autem elegans allegatur obſervatio à *Cel. Alberti* in act. Nat. Curioſ. Cent. 4. obſerv. 102. Sequntur enim facile poſt tales purgationes, inflammationes internæ Sphacelationes &c. Evitanda porro omnia tentamina, qualemcunque ſpeciem præ ſe ferentia utilitatis, in abdomine motus quosdam acerbiores excitantia, qualia eſſe ſolent, vulgaria uterina & quæ inter Medicos magnum nomen gerunt Caſtorina, neque puerpera cum Anodynis eſt offendenda, & teſtatur experientia, quam contrarios & periculoſos inferant effectus. Summe enim periculoſum eſt, ſomnum arte conciliare invalde vulneratis & magnam hæmorrhagiam paſſis, obdormiſcunt enim facile in perpetuum, quod ipſum etiam foemellæ peritæ norunt, dum puerperæ ſuadent, ne ſponte mox poſt partum dormiat, quia ſæpe talis ſomnus deprehenſus eſt lethiferus. Sæpe refert puerperas arceri à refrigerationibus in- & externis & frigidis ſubjectis ſtricturam nudam viſcerum poſt ſe trahentibus, unde potus frigidus interne nocet, non verò nocet potus vini boni etiam ceteroquin frigidi; neque extrinſecus aura frigidior ſenſibilibus puerperis admittenda eſt. Maximopere verò confert regimen ſervare moderatè calidum, excludendo anxiam exæſtuationem & incaleſcentiam; quid quod præſcindendo internam nimiam commotionem, qualia regimina contraria ad commotiones febriles, inflammatorias, congeſtorias, ſtagnatorias, & alias ſuſpectas conſecutiones contribuunt, ſed potius expedit, obſervare moderatum diap-

noen, libero ſucceſſui fluxus non menſtrui, quam Lochiorum inhærere, aut non coercendo, ſi etiam largior fuerit, non timendo ſi lipothymiæ intercurrant, melius enim eſt largiorem eſſe fluxum, quam parvum, liberatur enim uterus à recrementitiis materiis multis, & depletur nimia ſanguinis abundantia; interim exceſſus etiam nocet. Porro quo hic fluxus lochiorum rite procedat, præſtat præter bonum regimen ſufficienter humores diluere, & humectantia, diluentia, & eluentia aſſumere, excludendo refrigerantia; Concedendus potus ſufficiens juſcula præbenda moderatè pinguia & mucilaginoſa, gallinacea, hordeacea, farinacea, avenacea, cereviſiaria, cum quantitate temperata aromatis cujusdam remixta, à cibis ſolidioribus, craſſioribus, ſpiſſioribus, aceſcentibus, fermenteſcentibus, & in primis viis turbas excitantibus, ſtudiosè abſtinendum. Huic legitimo lochiorum fluxui inſervit, ſi fœmella proximè ante partum ſex aut octo diebus VSctionem inſtituerit; perinde ſubſidiis laxativis ſupra enarratis, pro ſcopo abſtergente, alvum liberare neceſſe eſt, & ſi ſub partu impetuoſiori concurrerat gravior ſanguinis commotio, præſtat mox poſt eundem adhibere ſequentem formulam.

℞. Conch. præp.
Matr. perl. præp.
ant. diaph.
nitr. regerer. ana gr. v.
Cinnab. ant. gr. ij.

M. f. pulv. pro una doſi, quinis aut ſenis horis repetatur cum vehiculo aq. diaphor. exhibeatur. Si puerpera poſt partum de quodam interno ardore proxime ſe in externa extendente conqueritur, præſtat ordinare temperantia & abſorbentia.

V. g. ℞. Corall. præp. gr. vi.

Nitr.

Nitr. cryſt.
Ant. diaph. ana gr. v.

M. f. pulv. exhibeatur bis vel ter per diem vel loco hujus pulv. temp. Heiſteri. Conjungi poſſunt in toto regimine ad motus mitigandos circa uterum & venam portæ ſuccedentes, ſive pilulæ genuinæ Beccher, ſive Stahl., & ſi quædam iuquietudines poſt partum in abdomine circa venam portæ obtingunt, præſtat mixtura hac uti ſequenti.

℞. Eſſ. diaph. H.
helen.
Cort. aurant.
Gentian. ana ℥j.

M. d. ad vitr. S. bis per diem ad gutt. 40.

Cura præcipue habeatur, quo alvus ſibi Conſtet, neve tamen ſive per diætetica ſive alia proritetur, & in motum inordinatum transferatur.

Dolores poſt partum.

Non minimum incommodum ſtatim poſt partum & per aliquot dies puerperis faciunt dolores poſt partum, vulgò die Nachwehen / qui puerperas ita excruciant, ut ſæpius loco illorum partum de novo tolerare vellent; Concitantur verò ex acerbiori partu, quo peracto, hi ſpaſmi non ſtatim acquieſcunt, quin aliquando ſanguinis excretionem proſequuntur, aut retentam flatulentiam urgent, ita verò puerperas defatigant, quin lochiorum liberiori & ſufficienti effluxui impedimento ſint, unde illis doloribus tempeſtive occurrendum, non verò medicamentis calidis, neque narcoticis, ne dum internis caſtorinis, ſed vel *removendo cauſas horum dolorum*, *dein mitigando continuantes hoſce ſpaſmos*; Quoad primum ſcopum, omne & ex- & internum frigus eſt arcendum, quin potius abdomini fomenta calida applicanda ſunt, dein alvi ſtrictura tollenda Clyſt. emoll. & moderatè carmin. Interna flatulentia,

tum alvum liberantibus, tum juſculis cum carv. remixt. tollenda eſt, aut eum Eſſ. diaph. H. helen. gentian. r. cort. aurant. Caryoph. Conjungantur pulv. nitr. digeſtivi, ut & decocta Coffeè, dilutioria; inſuper concedendum, quo ſanguis partes genitales libere egrediatur, ne cruor coaguletur & inde ſpasmi continuentur; ad evitationem coagulationis & excernendum ſanguinem grumoſum. Mitigantur tales ſpasmi partim per pulveres Nitr. Cinnabar. antiſpasmodicos, qualis eſt pulv. temp. H. Partim per Eſſ. diaph. H. & moderatè roborantes citatas, quo pertinent cataplasmata ex rad. caryoph. helen. leviſt. angel. pimpinell. a. herb. meliſſ. major. menth. cr. puleg. ror. mar. fl. cham. lavend. anth. calend. ſem. fœn. aniſ. carv. bacc. laur. cort. aur. lign. ſaſſafr. rad. gent. r. zedoar. addito pauco caſtorei. Conferunt linimenta ex oleis chamom. laur. aneth. N. M. Meliſſ. Menth. fœn. carv. cort. aur. addito paucillo caſtorei. Et ſic ex ſimilibus roborantibus variæ formulæ pro uſu externo confici poſſunt. Quo etiam pertinent ſpecies reſolventes & diſcutientes, quæ dolores hoſce & impetuoſos motus compeſcunt ac mitigant. Neque denique contemnendus uſus chaccarill. ad dolores tales mitigandos, efficax vid. Blazer. pag. mihi 451. Poſt puerperium vinum medicatum puerperæ dandum eſt, v. g.

℞. Rad. Zedoar. ℥ß.
Aſar.
Galang. ana. ʒij.
Herb. Meliſſ.
Matric. ana. Mj.
Fl. anth. p. ij.
Cort. aur. ʒij.
Rh. el. ℥ß.
Fol. ſen. S. St. ℥j.
Sal. tart. ʒij.

M. In-

M. Incif. contus. affund. aq. ferv. colat. Rec. libr. un. add. vin. Rhen. libr. ij. d. S. Blutreinigender Kräuter-Wein morgens früh ein gut Spitzglaß voll zu nehmen.

His, quantum potui, tractatis, ſcribendum eſt, de vitioſo lactis ſucceſſu & ejus ſymptomatibus. Sub lactatione varia occurrunt ſymptomata, vel primo congeſtiones ſemi inflammatoriæ ad mammas difficilem ſecretionem lactis comitantes, vel terrorem, vel iram conſequentes. In harum cura adhibendæ Eſſ. diaph. H. cum diapnoico regimine nec non frictiones & moderatæ preſſiones mammas emulgentes, evitando emollientia & acria; Si vero præceſſit iracundia, conferunt pulv. abſorb. nitr. cinnabar. cum corall. r. præp. adhibitis ſubſidiis rhabarb. pro laxatione; Si circumſtantiæ concedunt; Mammæ autem emulgendæ, & à lacte, quod vocant eine bößhaffte Milch evacuandæ, ſecundo, ſi in mammis nodi fuerint, conferunt vel camphorata remedia, cataplasmata ex rad. vincetox. caryophil. apii, bardan. herb. menth. hyſſop. ror. mar. agrimon. ſem. cumin. carv. farin. fabar. & moderata alvi promotio; uſus emplaſtri de ſperm. cet. camph. ut & applicatio herbarum petroſel. cum ſem. cumin. aut carv. aut nigell. ſunt & conjungendæ Eſſ. diaph. H. tertio, Si adeſt lactis coagulatio, conferunt cataplasmata camphorata diſcutientia empl. de ſperm. cet. diaph. Mynſ. galb. croc. d. melilot. benè camph. ne tamen diutius hæc emplaſtra inhæreant, alias poros mammarum obſtruunt, ſed, wenn ſie drey oder vier Stunden gelegen / wieder etliche Stunden davon genommen. Conducit etiam mammarum frictio, & uſus internus Eſſ. diaph. H. Si coagulatio fuerit recentior, convenit ſp. ſal. ammon. leviter ſuccinat. ut & ſalia volat. circumſpectè adhibita maximè proſunt, ſi non valde penetrantia ſint, nec nimis fre-

De vitioſo lactis ſucceſſu.

quenter adhibeantur, uti & ſal volat. C. C. in temperata quantitate; cum prædictis emplaſtris miſcenda v. g. tot grana quot ſunt 3. ſp. vin. cum eſſ. croc. ſalubriter etiam proficit. Si in ejusmodi caſibus diſcuſſio maturè non obtinetur, tunc tempeſtiva maturatio promovenda per cataplasmata leniter emollientia, attrahentia, ſed ſimul diſcutientia ex rad. caryoph. leviſt. vincetox. malv. alth. lil. a. liquirit. herb. major. menth. ror. mar. malv. merc. parietar. fl. chamom. melilot. ſambuc. ſem. Cumini, petroſel. fœn. græc. aliquid de ſemine ſinap. de croc. oriental. ut & proficiunt cepæ aſſatæ. In ambitu adhibendus ſp. vin. camph. c. eſſ. croc. remixtus, & dein pus genitum tempeſtive evacuandum, apoſtema verò purificandum, vel cum decocto ex rad. caryoph. apii. bardan. gent. rubr. herb. agrim. alchymill. ſanicul. ſalv. ſcord. hyſſop. fl. chamom. ſem. cumin. vel conveniunt unguent. digeſt. vel unguent. ex melle deſpumato, vitell. ovi, balſam. peruv. conficiendum, ſiquidem præterea liquamen myrrhæ & eſſ. ſuccin. benè ſaturata proficit, ut & eſſ. vulneraria *Stahlii* externè. Internè temperantia, abſorbentia, diſcutientia, & non nunquam laxantia; quarto, ſi in tali mammarum abſceſſu calli oriuntur, convenit ol. philoſoph. cum ol. cer. & liquamine myrrh. Quintò, In eryſipelate mammarum, conveniunt camph. magis ſicca, præcipue pulvis contra eriſypel. *Mynſ.* cum gr. aliquot camph. remixtus, internè diaphoretica, moderatè frictiones mammarum, abſtinendo à pinguibus & oleoſis. Sextò, ſi papillæ fiſſuras nactæ, conveniunt pileol. cerati, ol. ovor. cer. ol. popul. unguent. fl. verbaſc. aut fl. calend. omnibus verò his præferenda ſunt ſpirituoſa, ut ſp. vin. aq. reg. Hung. aliaque, quæ linteis complicatis fiſſuris his applicantur, referuntque mulieres, optimo ſæpius cum fructu,

ubi

ubi alia non profecere, uſas eſſe. Septimò, Si lac deficit, habet uſum internè ſem. nigell. ad. ℈j. cum aq. petroſel. diæta mollis, nutriens, coffeè, emulſiones, lacticinia. Octavo, Si fœmellæ lactare nolunt, præſtat, quo mox arctius colligent mammas, repetant laxationes, & extrinſecus camph. applicent. Vulgus braucht ad revulſionem die Kohlblätter. De his omnibus egregriè agit *Blażerus* in Compendio praxeos Clinicæ pag. mihi 451. & ſeq.

Delæſionibus genitalium poſt partum.

Unicum adhuc ſubjungere liceat, nimirum de læſionibus genitalium poſt partum. Si partus ex ſe difficilis evadit, vel parturientes, ineptæ, improvidæ, & violenter ab obſtetricibus tractatæ, genitalibus puerperarum quandoque læſio quædam inducitur, ita ut, vel labia uteri rupturam nanciſcantur, vel internum orificium uteri lacerationem ſubeat, vel etiam ipſum perinæum laceratur, ex quibus violentiis & læſionibus non modo hæmorrhagiæ & dolores augentur, ſed & alia ſymptomata accumulantur, & reliquus puerperii ſtatus redditur acerbior, unde præſtat, magis chirurgica ope, non neglectis reliquis clinicis tractationibus, hiſce ſubvenire læſionibus, maximè evitando uſum indiſcretum adſtringentium, quibuscum debita purgatio lochialis, eximie impeditur; proinde ſeponenda varia externa balſam. exotica, ut & refrigerantia & locis affectis qualemcunque irritationem inducentia. Præſtat potius ſymptomata ſupervenientia præcavere, ipſamque læſionem dextre mundificare & conſolidare; ex ſymptomatibus potiorem reſpectum requirit inflammatio, quæ vel præoccupanda, vel ſi adſit mitiganda & expedienda. Præoccupatio contingit cum temperantibus, temperatis alexipharm. & diaphor. eſſ. regimine moderatè diapnoico, conſervatione lubricitatis alvi, & oblatione pil. variarum

balſamic., circa uterum motibus moderamen ſingulare inducentium. Si vero inflammatio acceſſit, præſtat externe adhibere cataplaſmata ex rad. vincetox. apii, bardan. caryoph. herb. hyſſop. ſcord. agrimon. meliſſ. matric. milleſ. chærefol. marrub. albi fl. chamom. ror. mar. ſem. carv. foen. baccar. laur. cum lacte paranda, vel injectiones, ſi circa internum uteri orificium inflammatio talis præſumitur. Congeſtoriæ commotiones ad læſiones tranſeuntes, ſimilibus temperantibus & diſcutientibus medicamentis tractandæ, adhibito bono regimine & conſervatione lubricitatis alvi. Mundificatio & conſolidatio præſtanda ſequentibus: Si læſio in interno uteri orificio, convenit injectio paranda ex rad. apii bardan. cichor. tantillo gent. r. herb. ſcord. hyſſop. agrimon. ſanic. fl. chamom. roſ. r. ror. mar. ſem. carv. bacc. laur. addendo aliquid de melle deſpumato & therebinth. cocta, vel ſi exterius fuerint læſiones, convenit linimentum ex ol. ovor. & liquam. myrrh. vel eſſ. balſamic. vulner. quæ hunc in modum paratur.

℞. Eſſ. hyperic. ℥ß.
Succin. ʒiij.
myrrh. ʒij.
ol. therebinth. gt. x. M.

Laceratis labiis vaginæ uteri, convenit emplaſtrum attractivum cum balſamo ex album. ovi. N. ij. therebinth. Venet. ʒj. ol. hyperic. ʒjß. gum. maſtich. thur. ana ʒj. myrrh. ʒjß. aloes ʒj. quibus balſam. poſt ſufficientem mundificationem addi poteſt ol. hyper. ſucc. agrimon. & ſang. dracon. extrinſecus pro evitando humorum affluxu camph. & ſacculi nervini adhibendi. Non contemnendus uſus unguent. chirurg. digeſt. ex melle, vitell. ovi & therebinth. venet. pro ſcopo mundificatorio. Pro læſione verò conſolidanda, hoc unguent. cum ol. hyperic. maſtich. balſam. Peruv.

Peruv. & liquamine myrrh. miſceatur. Si genitalia ſunt excoriata, conveniunt linimenta & unguenta ex mucilagine ſem. cydon. album. ovi. ol. ceræ aq. roſ. ceruſſ. alb. præp. liquam. myrrh. exiguo camph. evitando mercurial. præcipit. Si in his locis intumeſcentia orta, convenit ſacculus, aut cataplaſmata ex ſpeciebus diſcutientibus, reſolventibus leniter adſtringentibus, & nervinis paranda; antequam verò filum diſſ. hujus abrumpo, liceat id, quod Excell. *Joh. Georg. Simonis*, de juribus obſtetricum ſcribit, paucis attingam; Quoad ſterilitatem ſimiliter caveant obſtetrices, ne uſum vani alicujus, & ſuperſtitioſi remedii, ad finem ſuſpiciendæ prolis, mulieribus porrigant, anſamque ſuppeditent ad pactum cum Dæmone vel implicite vel explicite ineundum, ſed multò magis easdem, ut Medicos Chirurgos conſulant, adhortentur, quæ cuncta fuſius pertractata reperiuntur in ipſa diſſert. ad quam benevolum cupidumque lectorem delegatum volo; Deo interim auxiliatori noſtro ex imis cordis penetralibus ampliſſimas humillimasqne agimus gratias, quod ſua gratia & benedictione adeſſe nobis dignatus ſit, & hiſce noſtris conatibus exoptatum concedere voluerit

F I N E M.

COROLLARIA.

1. *UBi deficit Medicus ibi agere incipit natura.*
2. *Ultimum Medicamentum juvat, ultimum necat.*
3. *Inſpectio urinæ, eſt ars fraudis fallaciſſima.*
4. *Laudari meretur chin. de chin. quæ quidem quibusdam*

ſuſpecta eſt, verum lege artis adhibita h. e. præmiſſis univerſalibus & ſal. volat. ol. pollentibus remixtis non nocet.

5. *Multa dantur medicamenta chemica, formam quidem externam optimè referentia, quæ tamen ritè non ſunt præparata, diſtinguendum eſt enim, inter medicamenta chemica, atque chemice i. e. legitimè præparata.*

6. *Nullum certum datur ſignum de morte embryonis in utero.*

7. *Medicamenta è corpore humano deſumpta, in praxi negligenda ſunt.*

8. *Sæpe unico momento penes ægrum plus obſervat Medicus, quam multæ prolixiores miniſtrorum miniſtrarumve relationes eum docere poſſunt.*

9. *Tempus bibendi commodiſſimum inter edendum.*

10. *Cum quis mutare aliquid volet, paulatim debebit aſſueſcere.*

11. *Optimum medicamentum eſt opportune cibus datus.*

12. *Multi magni morbi curantur inedia.*

13. *Purgationes in declinatione febrium neceſſariæ ſunt.*

14. *Tales eſſe decet medicos, & hoc ſatis eſt, ſi omni opera eo nitantur, & ſecum religioſè cogitent, in quo verſentur munere & qua in arena, ne quid in Deum & naturam temeritate peccent.*

15. *Medicus ſit liberalis, pecuniæ non nimis cupidus & avarus. Carnificis namque eſt, vel inter ipſos cruciatus ingens pretium expoſcere.*

NOBI-

NOBILISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

DN. CANDIDATO

GRATULATUR

DECANUS FACULTATIS MEDICÆ

GOTTL. E. BERNER. M. D.

Ejusque Prof. Publ. Ord. Acad. Cæſar.
Nat. Cur. Collega,

Experientiſſime DN. CANDIDATE

Non poſſum quin verba illa Euripidis mea faciam.

Qui volunt mederier
Ut unaquæque poſcit urbs & incolæ,
Hos terram oportet noſce
Demum admovere, ſic morbo manus.

Ex terra quippe ſuccreſcunt & modificantur mores & indoles: Huc animum flectere debet medicus, ubicunque opus; Etſi enim ars Medica certis nitatur fundamentis, nec incertis conjecturis, à Platone falſo quidem imputatis procedat. Nihilominus niſi indolem ægrotorum noverit Medicus, nihil vel parum in curando morbo proficiet. Sexus muliebris morbi id imprimis poſtulant, utpote qui, vel Idioſyncraſia vel indole Medicos ſæpius illudunt: Horum vero morborum ſciagraphiam cum Nobis dederis Specimine inaugurali, idcirco ex animo Tibi gratulor, Deus O. M. conatibus tuis porro adſit, quo plurima commoda proferas in illis imprimis curationibus, à quibus generis humani conſervatio, ortus, & propagatio pendet. Faxit Deus feliciter! Vale.

CAR-

CARMEN ELEGIACUM
In laudem
Nobiliſſimi nec non Doctiſſimi Viri
DN. CANDIDATI cum More Majorum
Doctorales ambiret Honores.

SUnt quidam Multum celebrantes Munera Bacchi
Queis recreant animum Vina falerna ſuum.
Tunc Madidi Vino, ſubmerſi flumine largo,
Clamantes Miſerâ ſeditione furunt.
Sunt alii nimium dediti libidinis armis.
Hi nudæ Veneri mollia corda fovent.
His puer Idalius ſuccendit pectus amore,
Mollia laſcivus corda cupido fovet.
Tu magis ingenuis Medicus vacare ſtudebas
Artibus, Pieriis invigilare choris.
Perge diu Medicus doctarum ſacra ſororum.
Inſervire, curæ ſtudia ſintque tibi
Perge diu Medicus depellere corpore morbos
Vive diu Medicus, perge diuque vale.

Hæcce pauca φιλίας ἕνεκα cecinere
A. W. S. M. C. J. W. V. K. M. S.

ES nobis gelido dictus cognomine SCHRÖDER,
Muſarum Princeps, divus Apollo vale!
Cum Tua ſit violenta manus, defenſio tanta:
Nil juvat audaci Te petiiſſe manu.
Tu violenta doces, quod ſit defenſio juſta;
Nec minus ingenii Strenuitate probat:
Hæc nunc erumpit: Florebit tempora multa
Mareſcet nunquam: Gratulor ex animo.
Hinc etiam Celeri propera Tibi gloria curſu,
Metaque Victori præmia digna feret.

Hiſce Nobiliſſimo Doctiſſimo Domino Reſpondenti ac Auctori SCRÖDERO *ſincero cordis affectu gratulari voluit & debuit*
HENRICUS HERMANNUS COCHIUS
Catto Caſſell. S. S. Theol. Stud.